

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis decimâ nonâ Maii.
M. DCC. XL.

M. CAMILLO FALCONET,
Salubris Consilii Regii Socio, & è Regiâ Numismatum
Academiâ, Doctore Medico, Præside.

An Variolis cujuscumque generis una medendi methodus?

I.



ARIOLÆ unus sui generis Morbus, [1] qui universos ætatis cujuscumque Mortales fatali quâdam necessitate involvit, [2] qui nullâ aliâ ratione expiari potest quàm ipsius Naturæ molimine, [3] quo semel expurgata si ritè fuerint corpora, numquam ampliùs inficiuntur: Morbus adeo, triplici hac notâ insignitus, nulli aliorum morborum classi annumerandus. [1] Cæteri morbi, nonnisi in certas quasdam ætates grassantur, omnes etiam intactas aliquando relinquunt: vixerunt homines innumeri Podagræ, Nephritidis, Erysipelatis, &c. per totam vitam immunes; quippe causas eorum nec ab origine traxerunt nec aliunde susceperunt: at *Variolarum* causa, cùm Embryoni semper innascatur, nulli ætati parcit (centesimo quoque vix excepto) ocyùs seriùsve se promens, graviùsque sæviens aut molliùs, prout fortior est aut debilior, adjutrices causas nacta magis minusve

opportunas, ita ut si hæ deficiant omninò, illa ob inertiam sepulta videatur, oblato tamen incitamento subito emicatura: quod apud integras Gentes quasdam etiamnum videtur. 2 Deinde morbis omnibus Natura varias rationes solvendis invenit, licet solitas ut plurimum vias suas affectet: quàm diversis Crisibus, Metastasibus in eodem morbo sese expediat quotidiè observatur, tum etiam, si quid ei desit, Arte nostra suppleri posse: at *Variolis* unus est exitus per Pustulas; eas, fateor, à sanguine præter modum incitato, nimiùm luxuriantes sæpius quàm à miasmatum copiâ, refrænare quidem forsan in manu est prudenter medentis., non itidem verò omnino supprimere vel quovis pacto avertere, quicquid hac de Prophylaxi, primarii etiam inter Medicos senserint. Præterea multi sunt morbi, unde vel Catharsi spontaneâ, vel medicamentis validioribus, corpora ante causaria firmiora redduntur: sic Favi, Scabies, Achores similiaque id beneficium Infantibus præstant, ut inde securitatem totius vitæ illi consequantur: at *Variolæ* impura purave corpora nullo habent discrimine: vidimus ægrotantem Thermis ita elutum ut numquam mundior fuisset, mox *Variolis* prehendi, atque interire: vidimus pariter à Ptyalismo profusissimo persanatos imò renovatos, in quibus extinctâ Lue Venereâ *Variolæ*, eæque nihilo benigniores exardescebant: quin à Peste, quæ morbos omnes, ut ita dicam, absorbet, revalescentes *Variolas* non effugiunt paulò post erumpere interdum visas, nisi inter eam eruperint. 3 Tandem ita comparatum est, ut plerorumque morborum repetitis ictibus ad mortem usque vivamus obnoxii, sive ex innatâ Diathesi, sive ex Causis Procatarcticis eâdem ratione denuò agentibus: Hæreditariis præsertim morbis, quorum causa sicut *Variolarum* nobis ingeneratur, solenne est per totam vitam recurrere: solæ sunt *Variolæ*, quibus humana corpora, si ritè lustrata fuerint, depenso semel vectigali, nunquam ampliùs infestantur: quippe, Causa innata ubi exhausta fuerit, nullæ aliæ, ne contages quidem, novi quicquam movere possunt. Cæterùm de *Morbillis* idem est prorsus atque de *Variolis*: quocirca id maximè notandum, utrumque licet ejusdem prosapiæ morbum, ut ad reliquos sic ad invicem se habere; neutrum enim alterius noxam præstitisse unquam visum est.

I I.

V*ARIOLAS* Morbum ingenitum esse adeoque omnibus communem, nec tamen ab omni ævo extitisse, pugnare secum videretur. Ex Græcorum siquidem & Romanorum silentio, quibus indictus fuit, nihil planè arguas; quandoquidem eorum ætate cum Epidemicis morbis confusus, Exanthematum nomine, Ecthymatum, φλυζακίων &c. Luis tunc grassantis symptoma censeri potuit. Ita nec sanè temere suspicanti multa, dum attentiùs legat, occurrent in Epidemiis Hippocratis, quæ ad hunc Morbum non invita se referant, multa pariter in Galeno, Aetio, &c. Enimvero ut Pestis alios in se morbos convertebat, teste Thucydide, sic & *Variolas* Popularis Lues. Sola autem illa *Variolarum* internam, qualis erat tunc temporis, Causam sedibus suis emovere poterat, alioquin non prodituram. Islandis hodie ex aëris peculiari Diathesi *Variolæ* vigesimo quoque anno duntaxat recurrunt, alio quovis tempore silentes. Groenlandi, Feroenses numquam eo Morbo tentantur, nisi ad se per contagem delato. Sic Americani ejus immunes fuerant ante Nigritam apud eos *Variolis* laborantem: apud omnes quippe earum Causa innata debilior est quàm ut prodire queat sine contagis miasmatum multo potentiorum auxilio. Affirmare itaque minime decet *Variolas* tanquam morbum novum emicasse, ætate quâvis licet remotissimâ, eò quòd Sporadicæ multo magis Endemiæ Antiquis incognitæ fuerint. Omnes verò qualescunque sint quam causam à nostris pri-

mordiis habeant adhuc latuit. Sanguis Menstruus priscis Medicis acceptus hodie explosus, nos tamen in vicina loca deducit, ubi quid conjecturâ non improbabili assequi liceat. Vestigia nempe relegamus ad prima usque humanæ gentis incunabula, Ovarium fœmininum dico: ibi conceptionem fieri, Fœtus in ipso ovo Ovario suo adhuc hærente isque non semel repertus luculenter demonstrat: liquorem autem, quo scatet Ovarium, nescio quid fracidi olere ac nauseosi, qualis est corporis *Variolosi* diapnoe, Anatomici norunt: inde verò in Embryonis corpusculum Miasma *Variolosum* transfundi, primisque ejus staminibus imbibitum à liquore lacteo, qui subsequens in Utero alimentum est, non tam elui quàm obduci atque penitiùs infigi vero simile est ut aliud quicquam. Profectò hoc ipsum esse Miasma ex Ovariis turgentibus refluum, non Plethoram solam, unde Menstrua cieantur fidem facit gravissimus odor ille, quem nonnullæ mulieres per id tempus exhalant, quemque *Variolis* simile redolentibus exstingui prorsus delerique constat, observationibus ut certissimis, ità ad confirmandam nostram opinionem maximè idoneis. Jam ab ovo *Variolarum* seminarium in universam progeniem derivari facilè concipitur. Porrò Gens exstat cui *Variolæ* sunt Endemiæ procul dubio quod apud eam cùm insitæ Causæ, tum aliarum quibus illa moveatur vis multo sit potentior: Nigritæ sunt quarum mulieres omnium in Orbe terrarum salacissimæ audiunt. A Nigritis per affinitates, contage etiam simplici, Æthiopes hisque confines Ægyptii luis jam προενυπαρχούσης (Latine si liceret *prænexistentis*) incrementum suscepere, quod Arabes postremò quaquaversus diffuderunt. Primus tamen qui *Variolas* memoraverit, fuit ineunte septimo sæculo Presbyter Christianus Aaron Ægyptius in Pandectis suis Græce vel Syriace scriptis, annis circiter quinquaginta post à Medico Iudæo Arabice versis. Ducentis abhinc fermè annis Serapion tum deinde Rasis, Avicenna & Alsaharavius (cæteros omitto) tres ultimi præsertim, *Variolarum* diagnosin tradiderunt eâ accuratione quæ nihil forsan etiam peritioribus addendum hodie reliquerit.

III.

DIFFERRE, pro symptomatum ejusdem morbi diversitate, Medicinæ genera haud minùs certum est, quàm pro ipsorum naturâ morborum. *Variolæ* Morbus unus sui generis tam multiformis est in variis suis speciebus, quàm in diversis ejusdem speciei periodis. Inter species verò maximè conspicuæ *Discretæ* & *Confluentes*, utræque rursus *Benignæ* vel *Malignæ* pro Miasmatis indole, Crasi ipsius ægri, aëris Diathesi. Horum trium ad instar se habent symptomata Morbi ingruentis non solum prænuntia, sed etiam speciei quæ futura est. Apparatus Morbi formidolosus plerumque, aliquoties in *Malignis* lenitate insidiosus: Lumborum dolor, graviora solito membra, totius corporis jactatio, Græcis ἀλυσμὸς, Barbaris Arabum Interpretibus *multitudo alicum & saltuum*, Caput grave vel dolens, ad somnum propensio, terror ex somno, Mentis aberrationes, Phrenitis etiam, Facies rubens, Oculi micantes vel lacrymis natantes, prurientes Nares ac stillantes sanguine sæpius, vox clangodes vel obtusior, difficilior spiritus, angor, Cardiogmus, vomitiones vomendique ampliùs cupiditas, Alvus cum colico dolore fluens; non omnia in omnibus, sed in singulis aliqua: præ cæteris autem virosus nescio quis totius corporis halitus atque punctiones per universam cutem *Variolas* in procinctu denuntiant; præsertim si illâ tempestate grassentur: tunc etiam in Infantibus dentitione jam defunctis assultus Epileptici raro fefellisse deprehenduntur. Horum omnium symptomatum Febris comes est

individua, morem suum indidem trahens. In *Discretis Benignis*, qualis Puerperarum est Lactea, (*halituosam* fermè dixerim) talis esse videtur, ex quâ cutis perpetuò madeat nonnumquam etiam sudore nimio diffluat; aliàs in iisdem haud ita *Benignis* vel acriùs ardens cum cutis ariditate, vel mitiùs in speciem tacito igne deflagrans. Concidit autem illa vel saltem remittit cum cæterâ symptomatum cohorte, ex quo puncticula è profundo cutis emergunt, proutque in Pustulas orbiculatas, subrubras, singulatim erumpentes (quæ melioris sunt notæ) adolescunt; quod quarto die ab ingressu morbi solet fieri, præstatque seriùs quàm ocyùs, ut & in artubus erumpere quàm in trunco: unde sunt qui ex variolosis Pedum plantis Excretionem absolutam, nec unquamredituram hariolentur; cùm è contrario mali moris *Variolæ* Dorsum ac Ventrem sicut *Petechiæ* præsertim infestent. Tertio autem die etiam secundo apparent *Confluentes*, quæ, *si malignitas* absit, à *Discretis Benignis* non discrepant, nisi majori copiâ miasmatum, vel potiùs æstu à calidioribus intempestivè, ut ferè fit, adhibitis incitatiori, unde motu inæquali impetuoso ac præpropero Pustulæ acervatim, inter se cohærentes, ac sibi invicem accumulatæ erumpunt; quas, cùm integræ Miasmatum exspirationi spatium iniquius præbeant, Ptyalismus velut earum succedaneus semper comitatur, insidior plerumque salutis vindex quàm Alvus in Infantibus ejus loco fluens. De cætero *Confluentes* omnes deterioris naturæ ut & *Discretæ* maculis colore alieno, *Petechiis*, &c. intersitæ tot formas pravas induunt, quot sunt *Febres Malignæ*, quarum indolem *Variolosa* suscipit. Cacoetheias verò illius duo præcipuè sunt effecta, sanguis fusior vel adstrictior; unde tot symptomata dissimilia, quæ dissimilem Medicinam exposcunt. Jam disparitas non minoris momenti in iisdem *Variolis*, quæ tribus periodis continentur, Secretionis, Excretionis, Suppurationis, quibus singulis sua sunt pericula, sua etiam præsidia. Adde tandem præter Febres mali moris, quæ in Epidemicis Luibus sese *Variolis* adjungunt, morbos omnigenos jam antea ægris insidentes, Scorbutum, Luem Veneream, Arthritin, &c. quibuscum *Variolæ* mutuam in ægrotantis perniciem sibi tradunt operam.

IV.

MORBUS tot aliis implicitus indeque tantopere formidandus, ubi simplex tamen, in Puerili ætate sanâ, verno tempore, aëre clementi adeo non periculosus est, ut sponte ad sanitatem veniat, Naturâ totum opus sibi vindicante. At aliâ ætate, alio habitu, aliis temporibus non perinde ea sui juris est, atque auxiliares manus exposcit à Morbi principio etiam non rarò ultra finem. Ac primùm ingruunt variæ procellæ, ex quo Miasmata suis latibulis derepta sanguinem cui committuntur inficiunt, & quaquaversùs circumlata fibras quibus illiduntur vellicant, donec per Secretionem ad Habitum corporis exspument. Quantùm in hoc rerum articulo Venæ Sectio prosit, ut & cæteris secretionibus promovendis, notius est quàm ut hìc disceptetur. Tunc fere nulli dubitarunt sanguinem mittere; iterum etiam atque iterum tam ex Brachio quàm ex Saphænâ, si Caput impeti videatur, peritiores nequaquam reformidarunt; cum observassent hæmorrhagias, Menstrua, Lochia, bonis ægrotantium rebus, affatim eo tempore prodire. Avicenna, sanguinis de Cerebro derivandi gratiâ, Narium venam secabat, non abs re forsan; furentibus Mediam in fronte Antiqui pertundebant, in cujus vicem Jugularis hodie recepta est: alterutra forsan sæpiùs quàm fit secanda, ut sanguis cùm ex Cerebro tum ex facie, quò videtur ferri, expeditius remeet. Sanguinem demùm, undè undè mittatur; in Plethorico maximè refert mitti. Verùm si aliunde urget Cacochymia, huic

pariter, quamprimùm poteſt, occurri debet: ſcilicet depleto ſanguine è veſtigio purgandum, ne tantis turbis commoti pravi humores in ſanguinem confluentes, aut *Variolofis* Miaſmatis veluti compedes injiciant, aut uberiùs cum eis ad cutem appellentes in omnigenas Puſtulas effundantur, aut, quod deterrimum omnium eſt, ne utraque promiſcuè internis Viſcerum Glandulis vel Membranis, unde nullus exitus, obhæreant, ibique ante deſigantur quàm reliquum ad cutem perveniat: (*Inceſſus Dimidiatus*, ſi fas eſt ita loqui, hoc in caſu potiùs vocandus quàm *Retroceſſus*). Porro Catharticis cæteris hoc in caſu jure Stibiata anteferuntur, eaque multiplici nomine; minimum ſiquidem ſanguini fervorem inferunt, tum vomitione, præter ejus proxima beneficia, ita quaſſatur fibratus omnis contextus, ut è Glandulis lentiores ſucci validiùs exprimantur, addito etiam ſine vomitu ſtimulo; denique vis neſcio quæ Stibii, ut ita dicam, radians excretionique favens ad Habitum uſque corporis pertingit; quod in morbis omnibus cutaneis attendenti deprehenditur: Scorbuti tamen injectâ ſuſcipione Ipecacuanham interdum malunt, qui vim radicis hujus compertam habent. Cæterùm victu tenui, potu dilutiori frequente, aëre temperato, plerique ægrotantes juvantur. Acidis etiam ac frigidis fervorem nimium, ut pertinaces vigilias ex Papavere paratis compeſcere Medici non vulgares aggrediuntur; quod ultimum curioſiùs circumſpiciendum. Alii omninò ſunt ægri vel imbecilliore corpore vel prægreſſæ æſtatis calore immodico nimio labore ita exhauſti, ut refocillantibus præ cæteris præſidiis egeant: hìc *Cardiacis* quorum aliàs intempeſtivè toties uſus eſt, locus conceditur. Jam Excretione alterâ periodo ſuccedente, ſi omnia conquieſcant pariter & Medicus conquieſcet. At nimiùm ſæpè febris aliaque ſymptomata ſævire pergunt, ut ſolet in *Confluentibus*; non ſatis adhuc expedito corpore vel ex pravâ ipſius Morbi indole, quæ puſtulis à genuino ſtatu deſciſcentibus declaratur. Tunc eruptione non deterriti ſanguinem rurſus, undecunque oporteat, mittere audent qui in his Morbis quotidie verſantur; nec à Stibiatis interea deſiſtunt, ut ſanguinem mole heterogeneorum quâ onuſtus vix incedit, levent, captato inter graviora tempora intervallo. Eſt ubi poſt Saphænam pluries ſectam à Mochlico etiam repetito humores, quibus Cerebrum opprimitur, excuti nequiverunt; pulſus inde ac vires languent, torpetque æger magis quàm uritur, liquidis omnibus ad coagulationem pronis. Huic ſtatui ſi quicquam opitulatur, Epiſpaſticum ſanè eſt: Cantharidum ſalibus in ſanguinem transfuſis genus nervoſum intenditur, fibræ ſtimulatæ tonum dejectum recuperant, atque ſegnibus lentiſque humoribus dimovendis tum eliquandis habiles fiunt. Cætera à Miaſmatum feritate vel aliunde ſuborta hìc prætereo haud multò poſt memoranda. Suppuratio tandem advenit circa octavum diem more legitimo: Febris verè Phlegmonodes accenditur, alia prorſus à priori quæ ab Eruptione quieverat; interea tumet ſtatim facies, manus & pedes deinde; Puſtulæ leves quæ fuerant antea, jam aſperiores faſtigiari ac flaveſcere incipiunt, baſi roſacei coloris circumdatæ; tum, ubi febris remiſit, undecimo circiter die quo pus confectum eſt, intra decimum quartum in cruſtas dilapſuræ; exhalatis priùs Miaſmatis, quæ laxatis à Suppuratione fibris, quibus depacta eam moverant, tunc eximuntur pure obvoluta: neque enim ipſa coqui, ſubigi, ullove pacto alterari, magis quàm ſpinam carni infixam, exiſtimandum eſt. Pauca in hoc curriculo incidunt, ſi victus opportunus fuerit, quæ Medicum deſiderent: linctus Gutturi exulcerato, linitus verò unguinoſus puſtulis maturis jam prurientibus demulcendis ſufficiunt. Hæc eſt in *Variolis Benignis* Morbi clauſula, multò ſecius in *Malignis* novorum malorum exordium, imò priorum continuatio magis ac magis ingraveſcentium;-

Exleges *Variolæ* genuinarum periodos non norunt: ut Excretio ante tempus sic Suppuratio (si ita dicenda est) præmatura, ut videas jam in saniem Pustulas abeuntes, dum aliæ vix efflorescunt; omnes sub alienorum Ecthymatum larvâ, Crystallinæ quasi Phlyctænæ ex ambustis sero acri turgidæ, depressiores aliæ colore pallidiori vel fusco, alternis emergentes aut evanidæ, sanguinolentæ, verminosæ, verrucosæ, pessimæ omnium nigricantes ac velut gangrænâ tactæ. Interea loci febris, quæ breves aut nullas ab ingressu Morbi dedit inducias, undecimum diem, quo legitima Suppuratio circumscribitur, transgressa novo furore recrudescit, *Secundaria* vulgò, putrida, si ulla nunquam, vocitanda: quæ tamen à frigore suscepto tantùm orta, vel errore non gravi antea admisso utcumque ferri potest & emendari: at ex Miasmatum *Variolosorum* sive morborum conjunctorum malâ indole, omnium quotquot sunt malorum efferatissimum est. Etenim cùm squalida à deurente sanie cutis ac retorrida, aut ex viscidis crudisve impactis occallescens omnem exhalationis viam præcludat sordibus huc jam rejectis aliisque adventantibus, omnes necesse est à sanguine resorberi, eò graviùs nocituras, quocunque delatæ fuerint, quò Miasmatum *Variolosorum* unâ refluorum spiculis magis exacuuntur. His aculeis elater vasorum velut œstro percitus sanguinem ingeminatis verberibus ita atterit, ut compages ejus omninò resolvatur, principia dissocientur, salia alkalescant & ad putredinem post Phlogosin vergant omnia. Dum hæc mortem approperant, æger immensùm jactatus delirat, furit insomnis, Spasmis torquetur, æstuante Pectore Faucibus arentibus anhelat, ac sanguis liquatus, quoquoversùs irruat, exitum sibi facit: tunc Alvus torminosa ac sanguinolenta, lotium cruentum quo nihil funestius est, hæmorrhagiæ etiam aliunde erumpentes fatum instans denunciant. Sic difflatur, ut ita dicam, Vitalitas, quæ in statu contrario ab eâdem tamen Prophasi suffocatur. Si enim crassiora sint, quæ in sanguinem remigrant, simul & fibrarum tonus antea distentior restitui nequeat, inanem Cordis licet frequentiorem conatum sanguis spissior eludit, in majoribus vasis tumultuatur, dum intra minora pigrescit, recrementis omni fermè secretione prohibitis magis ac magis gravescens. Cerebrum inde, fons motûs ac sensûs, ipsum iners: jacet veternosus æger undique oppressus, Ptyalismo in *Confluentibus* subsistente, Faciei tumore in *Discretis* collapso, ac Pustulis in utrisque subsidentibus; dum ægrè fluit lotium, nec Alvi dejectiones pensandis tot deficientibus pares sunt. Jam si quæ sunt descriptos inter status communia præsidia, sunt alia sanè cujusque tantùm propria. Utrique certè Venæ Sectio convenit, illi quòd rarescens sanguis impensiùs & exundans suis finibus contineri nequeat, huic autem quòd ex penetralibus ubi aggeritur in cæteras partes eum revocari sit opus, non tam exhaustis viribus quàm oppressis. At Catharticorum haud paulò dispar est ratio. In priori statu à Purgantium causticâ vi summoperè metuendum; hanc verò Acidis si infringas, Stibium ipsum ex Tamarindorum decocto vel Citreo Potu tutiùs ac commodiùs cæteris etiam lenioribus exhibeas. Hìc est profectò iisdem Acidis quoquomodo locus, sive largo ac dilutiore potu sive Apozematis refrigerantibus misceantur, ex Plantis, Mali Granati, Limonum, Berberis succus &c. ex Mineralibus, Nitrum, Spiritus Vitrioli & Sulfuris; omnia quippe sunt Antiphlogistica pariter & Antiseptica, in quibus spei quod superest reponendum. Opio vero sedare turbulentos adeò motus non conceditur, nisi quibus solitum est summâ cautione usurpari. In postremo statu, quod ad hæc ultima, multò aliter res se habet; valentiora audaciùs adhibentur Cathartica, inter quæ Sti-

biata usque palmaria sunt, at mera utiliùs; quò per vomitum universum corpus concutiatur ac deindè per Alvum crassamenta deturbentur aliis omnibus incerniculis imparia. Quantùm verò prosint, purulentæ dejectiones ipsæ testantur. Sed cùm aliunde fibrarum tonus instaurandus sit ac liquòribus calcar subdendum, nihil Epispasticis succurrit præstantius, quorum agendi ratio modò exposita fuit; hac observatione nunc additâ, quoties attritos ut par est ab hoc præsidio liquores existimaveris, toties iteratâ catharsi educendos; quandoquidem in sero ex ulcusculis exsudante non tantùm opis est quantùm vulgò putatur. Tandem Calidioribus etiam tunc indulgeri potest, si per Febrem licuerit, habito tamen eo delectu, ut quæcunque motu rapidiore tenuiores sanguini partes auferunt, omninò repudientur. Contrariis sic curandi qui ab eodem Morbo tam diversè ægrotant; inter quos, diutius tractos assiduâ curatione tandem expediri interdùm evenit: at sanare omnes in Medico non est, ubi nempè Morbus Medicinam præoccupaverit, sic loquitur Divinus Senex: sunt scilicet, quibus vel inter Secretionem tetrâ humorum cum Miasmatis colluvie Viscera, Pulmo, Cerebrum obsita fuerunt, immedicabili telo perituri. Felices ergò qui laceri Oris fœditate ac macie quantàvis vitam redimunt, nec insuper Claudicatione, Anchylosibus, aliove artuum vitio, Surditate, Cæcitate Theriomatis etiam & Tabe immeriti plectuntur. Tanta totque *Variolis* mali moris succrescunt, ac miseros superstites lentâ morte conficiunt.

V.

MALO tam multiformi, tam diversorum symptomatum feraci nihil mirum tot remedia inventa fuisse, ut nulli curando ex Therapeutices armamentario plura deprompta fuerint: sed in tantâ curationis varietate summopere mirari subit plurimos eorum qui celebritate nominis aliquâ inclaruerunt uni ferme in omnigenis *Variolis* remedio fidisse. Horum agmen ducunt qui uno quodam Prophylactico *Variolas* averti posse sibi persuasere. Jam dudum hac mente [a] Alsaharavius Syrupum solo nomine *Alyandaci* notum memoraverat, ejus efficaciæ ut novem Pustulis tantùm eruptis decimam interciperet. [b] Agyrta fuit sæculo præterito, multo plus *Essentiæ Benedicti Valoris* suæ vindicans, quâ Pustulæ jam apparentes etiam delerentur, ne ullo quidem vestigio morbi relicto. Pervagata sunt deinde ejusdem commatis Alexeteria *Opiata Antivariolacea* Medici Vagret, qui nostras esse creditur; Pulvis dictus *Le Ramoneur*, à milite quodam Monck venditatus; Pulvis alter qui ineunte sæculo Parisiis probatus minimè respondit, &c. His utcunque fidem præbuit summus vir [c] Boerhaave, ejusmodi Remedium ex Stibio & Mercurio paratum commendans, quem forsan in hanc opinionem [d] Glauberus perduxerat, dum suam Antimonialem Panaceam in *Variolis* præcavendis potentissimam jactavit; Aliis ut Francisco Bouchard, Sigismundo Grassio, nuperrimè Anglo Lobb, Mercurialia prædicantibus: quæ omnia hactenus fuerunt tantùm in votis. Verùm enim verò meliùs Consulti non aliam Prophylaxin agnoscunt, quàm rectam ab initio curationem institutam, unde tot atrocibus in Morbi decursu superveniendis occursetur: rectæ autem curationis cardinem potissimùm verti in Sanguinis Missione, vomitu & Catharticis existimant. Neglectis his præsidiis eximius aliàs Medicus Sydenham, Opio iterùm atque iterùm ingesto, cujus usum Theodorus de Mayerne in hanc curationem jam invexerat, tanquam sacrâ ancorâ nixum se credidit, timidior in sanguine mittendo post Eruptionem, ut per Febrem *Secundariam* in purgando parcior. Alii in horum alterutro præsidiorum nimii, alteri tantùm se addixerunt. Hinc Germano Loe-

a Tractat. 31. sect. 1. c. 10.

b V. Thiermair. Schol. ad Consult. L. 1. c. 7.

c Aphorism. §. 1390, 1392, 1393, & 1403.

d Pharmaco. Spagir. p. 1. Append. Genera. Centur. 2. §. 100.

ber ſanguis nunquam ſatis miſſus videtur ; Anglus ex remedio ad Hydropem nuperrimè notus quotidiè vel alternis diebus quâvis in periodo venam ſecari jubet : è contrario Lobb jam memoratus tantam cautionem adhibet, ut ferè numquam ſecandi occaſio obtingat. Illinc verò Germanus Gundelsheimer, qui noſtri Turnefortii peregrinantis comes fuit, ſolebat Stibium vel ſolum vel cum Manna altero quoque die per totum Morbum exhibere, eo ſucceſſu, ut ſanato hac methodo Principe Brandeburgico, Archiater Electoris factus fuerit ; quæ forſan ratio, ſi optio daretur inter ejuſmodi cæteras, minùs repudianda foret : at Henricus Meibomius Catharticum ita reformidabat, ut nequidem Clyſma infundi ſineret. Non incelebris Anglus Woodvard omnibus ſatis ſe providiſſe arbitrabatur ſolo Amygdalarum dulcium oleo. Germani ferè omnes, Stahlio duce, toti ſunt in Nitratis & Teſtaceis abſorbentibus. Quin Gentibus ſua ſunt Alexeteria ; Delfinatibus Anthora, Petroſelinum Helvetiis, nonnullis Germanis Caſcarilla, &c. quibus confiſi, cæteris facilè carere ſe putant. Verùm inter omnes Medicus Anglus Morton, eò magis in hoc negotio cavendus quò in aliis commendatiorem ſe præſtitit, nihil aliud crepat quàm Diaphoretica, *Volatilia*, Alexipharmaca, ſola, quæ ſpiritibus, ut opinatur, cum Veneno *Varioloſo* luctantibus ac lapſabundis auxiliari queant, alioquin Sanguinis Miſſione & vomitione corruituris ; tum Epiſpaſtica aliis atque aliis corporis partibus omni in ſtatu promiſcuè admovet, ac tandem Cortice Peruviano Veneni *Varioloſi* reliquias expugnare contendit ; cùm hæc Miaſmata indomita, nullâ coctione ſubigenda, ſolâ evacuatione exterminari poſſint. Jam verò pauló cordatior Medicus modò in hac palæſtrâ exercitatus ſit, in tantâ diſſenſione, ab omnibus mutuans quicquid in præſens utile cenſuerit, nullius planè auctoritati ſe mancipabit, atque propriis Obſervationibus fultus, alieno ex jecore non ex ſuo ſapere turpe ſibi ducet. Sed quantò foret ei turpius muliercularum & Idiotarum arbitrio ita ſe permittere, ut, ſi quid contra præjudicatas opiniones agendum ſit, ægro ſummum in periculum adducto, nihil tamen audeat. Tunc ſanè qui ſalutem ægri auræ populari anteponit, in omnem partem ſe verſans nihil non tentat, ac ſemel deliberata intrepidè celeriterque exſequitur, gnarus hoc in Morbo maturiùs auxilia, etiam cum quadam temeritate, ubi fatum inſtat, rapienda eſſe.

Ergò in Variolis cujuſcunque generis non una medendi Methodus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Petrus Le Hoc, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.	*M. Joannes-Baptiſta Boyer Regis Conſiliarius & in ſenatu Pariſienſi Medicus ordinarius,*	*M. Claudius Brunet, Rei herbariæ Profeſſor,*
M. Antonius-Nicolaus Guenault,	*M. Bernardus De Juſſieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis ſocius, & in Horto Regio Botanices Pro demonſtrator.*	*M. Ludovicus De Santeuil,*
M. Paulus-Jacobus Maloüin Scholarum Profeſſor.	*M. Franciſcus Mery, Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeſſor.*	*M. Emmanuel-Mauritius Du Verney.*

Proponebat Pariſiis, BENJAMIN-LUDOVICUS LUCAS, Laudunenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1740. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1740.